


Dissertatio inauguralis mythologica de Jove homerico

<https://hdl.handle.net/1874/320807>



NB

7 Apr 1850


J. F. Bayl


is by 1851

Gebonden

1. Wagener, J. De Jove Homeric.
2. Woltersen, J. J. De mutationibus
in sano Corpore sanguinis
detractione productis.
3. Lyon, J. Delmonte. Diss. exhibens
duos casus febris intermittens
comitatae.
4. Haerten, J. L. A. Historia Cholerae
Asiaticae annis 1848 et 1849,
dum Ultrajecti regnabat, in
vico hujus urbis littera C. insigni,
to observatae.
5. Boothuyzen, C. Jan. Diss. qua Platonis
doctrina de communione bonorum,
mulierum et liberorum, in libris
de Republica proposita, sub exame,
vocatur.
6. Laer, J. R. C. van. De Rheno flumine
cum terris, quas perfluit sedi-
mentorum Commercio.
7. Adriani, A. De Gutta Percha et
Caoutchouc.
8. Zymen, T. J. J. Sibmacher. Spec. quo
Plutarchi de nonnullis Chrysippi
placitis judicium examinatur.
9. Aberson, C. J. J. Colson. Theses jur. inaug.
10. Henry, G. J. H. id.
11. Heyden, J. van der. id.
12. Ras, C. de. id.
13. Hennequin, F. J. id.
- 13^a Godefroy, J. Th. M. id.
14. Rees, Th. A. Jan. id.

- | | | |
|-----|--------------------------------|-----|
| 15. | Tydeman, M. Theres jur. inaug. | |
| 16. | Persyn, J. H. van. | id. |
| 17. | Selden, A. van. | id. |
| 18. | Evers, J. G. Staats. | id. |
| 19. | Jonge, C. de. | id. |
| 20. | Plas, C. P. H. de. | id. |
| 21. | Sablonière, S. H. de la. | id. |





JOVE HOMERICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MYTHOLOGICA

DE

JOVE HOMERICO.

Pro Gradu Doctoratus,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

JOANNES WAGENER,



JOVE HOMERICO.

INSTITUTIO IN ALPHABETIS MYTHOLOGICA

RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT



1417 4795

DISSERTATIO INAUGURALIS MYTHOLOGICA

DE

JOVE HOMERICO,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

BARTHOLDI JACOBI LINTELO DE GEER,

LITT. HUM., JUB. ROSS. ET HOD. DOCT. ET PROF. EXTRAORD.,

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOANNES WAGENER,

Sterpenichensis.

DIE XXIII MENSIS APRILIS A. MDCCCL, HORA II.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD VAN HEIJNINGEN & POST UITERWEER.

MDCCCL.



JOSE HOMERICO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

MARTIN LUTHER KING, JR.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

JOHN WAGNER

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



JOHN WAGNER

PROOEMIUM.

De Jove Homérico me disputaturum quum professus ero, permulti me inutilem suscepisse operam putabunt, quippe quum de illo jam tot et tanti viri dixerint, ut fere nihil videatur superesse de quo cum fructu disseri possit. Scio equidem ea de re plurima esse scripta vel in Homericis commentariis, vel in compendiis mythologiae, vel eis in libris quorum auctores data opera in homericam religionem inquisiverunt 1), vel etiam in peculiaribus quibusdam dissertationibus 2); sed nulla tamen scriptio mihi innotuit, in qua ratio habita sit locorum omnium ad Jovem apud Homerum spectantium: quod quidem in

1) Qualis est NAEGELSBACHII: *Mythologia Homerica*.

2) E. g. ECKENBRECHERI: *de Jove Homeri* dissertatio. Berolini 1833.

tali argumento exprimendo mihi visum est omnino necessarium. Talis autem scriptio si jam exstet, meque fugerit, quod non mirandum esset in tanta librorum copia qui hodie ubique eduntur, meum erit detrimentum, non litterarum, quibus non potest non prodesse ut res tam gravis tamque difficilis a pluribus tractetur. Nec meam operam prorsus inutilem fore credo, quum pro certo habeam nova quaedam eaque vera in ea inesse.

Quod autem dixi, me omnium locorum, in quibus Homerus de Jove locutus sit, rationem hibaturum, non ita intelligi velim quasi eos omnes laudaturus sim. Quod profecto putidae diligentiae foret, praesertim quum in *Seberi Argo Homérico* accurate confectus illorum locorum index reperiatur.

DE GEMINA JOVIS APUD HOMERUM NATURA.

Quicumque Homerum non obiter tantum perlegerit, sed aliqua cum diligentia ad singula attenderit, eum fugisse non potest geminum in ejus carminibus Jovem inveniri, *alterum hominibus admodum similem*, vi tantum et sapientia ab eis diversum, *alterum autem deum naturalem seu physicum*, qui pluit et nungit, qui tonat et fulgurat, qui terrae fructus alit, nubes colligit et imperat ventis.

Primum igitur quaeritur quomodo differentia illa sit explicanda, i. e. utrum duo prorsus inter se diversa numina coaluerint (quod ex. g. in Herculis evenit cultu, quem partim ex fortissimo Graecorum heroë, partim ex effeminato Hercule Lydorum, ad Omphalae pedes jacente, originem duxisse persuasum est harum rerum peritis), an alter Jupiter prior,

primam linguae formam servasse, *diu* duas habet significationes: et *lumen* indicat et *coelum*. Quarum utra sit potior statim apparebit, modo Iliadis lib. 15 versum 192 tibi in mentem revocaveris:

Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.
Atque haec vis uno saltem loco adhuc apud Homerum servata est. Sermo ibi est de belli tumultu:
(Il. 13, 837)

ἤχῃ δ' ἀμφοτέρων ἔκετ' αἰθέρα, καὶ Διὸς ἀνγός.
Nam quid aliud, quaeso, *Διὸς* hoc loco significare potest quam *coeli*? Atque alibi quoque mihi quidem videtur *Διὸς* vocabulum ad *coelum* esse referendum:
(Il. 19, 357)

ὥς δ' ὅτε ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται,
quo in versu *ἐκ* conjungendum esse credo cum *Διὸς*; quod si admiseris, necessario *Διὸς* spectat ad *coelum*. Apud Latinos etiam, quorum linguam graecae arcte cognatam esse nemo ignorat, *Jupiter*, quod idem esse videtur ac *Ζεὺ πάτερ*, persaepe pro *coelo* usurpatur. Vide Ciceronem *de Nat. D.* II, 25, ubi dicit Ennius: Adspice *hoc sublime candens*, quem invocant *Jovem*. Cf. Horat. Od. I, 1, 25: manet sub *jove frigido* venator; Ovid. fast. II, 299: *Sub Jove* durabant et corpora nuda gerebant. *Jupiter* igitur est *coelum*, sive *Coeli deus*.

Jam ad epitheta nos convertamus, quae plerumque

optime deorum naturam ostendunt, ad eaque, quae Jupiter agere dicatur. Haec autem nos ad eundem ducunt finem. *Νεφεληγερέτης* vocatur, h. e. qui nubilula colligit. Coelum nubibus implet, *νεφέεσσι περιστέφει*, Od. 5, 303; *πατρός Διὸς ἐκ νεφελῶν*, Π. 2, 146. Tempestates movet, Od. 9, 67:

νηυσὶ δ' ἐπ' ὥρσ' ἄνεμον Βορέην νεφεληγερέτα Ζεὺς
λαίλαπι θεσπεσίῃ, σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυπεν
γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον

Od. 24, 42: εἰ μὴ Ζεὺς λαίλαπι παύσεν. Od. 5, 176: *Διὸς οὐρῶ*. cf. Π. 1, 511; 2, 412; Od. 9, 552; 11, 405; 13, 45. *Κελαινεφής* appellatur i. e. qui nigris nubibus est obvolutus, Od. 10, 552.

Pluviam demittit:

ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος. Π. 5, 90

ἦε δ' ἄρα Ζεὺς πάννυχος. Od. 14, 458; Π. 12, 25.

ἡματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ

Ζεὺς, (Π. 16, 385).

Nivis et grandinis dicitur auctor:

ὥς δ' ὅτ' ἂν ἀστράπη πόσις Ἑρῆς ἡνκόμοιο,

τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον, ἀθέσφατον ἢ χάλαζαν,

ἢ νίφετον, ὅτε πέρ τε χιῶν ἐπάλλυνεν ἀροῦρας. Π. 10, 5.

Π. 12, 278 sqq.

... ὥστε νιφάδες χιόνος πίπτουσι θαμνῖαι

ἡματι χειμερίῳ, ὅτε τ' ὥρετο μητιέτα Ζεὺς

νιφέμεν ἀνθρώποισι, πιφανσκόμενος τὰ ἀκῆλα,

κοιμήσας δ' ἀνέμους χέει ἔμπεδον, ὄφρα παλῦψη
ὕψηλῶν ὀρέων κορυφὰς καὶ πρόοντας ἄγρους,
καὶ πεδία λωτεῦντα, καὶ ἀνδρῶν πτόνα ἔργα, κτλ.

In fine hujus descriptionis, quae adhuc per aliquot versus deducitur, poeta addit: ὅτ' ἐπιβρίση Αἰὼς
ὄμβρος.

Jupiter etiam dat coelum serenum:

ποιήσον δ' αἶθρην, inquit Ajax II. 17, 646.

Haec igitur omnia Jovi tribuuntur; quae adeo sunt perspicua ut putes neminem, qui accuratius ea perpenderit, negaturum talibus in locis, quales attulimus, Jovem esse deum *physicum* sive *naturalem*. Et negavit tamen prae fracte Niebuhrius, vir acutissimi ingenii, in recensione *Idearum Heereni*, quae repetita est in secundo opusculorum volumine p. 128. Sed quod jam alii dixerunt, et mihi quoque omnino persuasum est, Niebuhrius hoc loco prorsus erravit. Habet autem ejus error quo excusetur. Etenim jure quidem, sed, quo erat fervore, nimis infestus fuit symbolico illi interpretandi generi, quod tunc temporis philologiam invadere minabatur. Et sane perversa fuit illa mythologiae tractandae ratio, qua ex. gr. usus est Creuzerus, qua veterum populorum simplici religioni nescio quae obtruduntur obscura et mystica dogmata. Sed non mysticam esse oportuit religionem naturalem; quid enim simplicius quam ut homines

pluviae, grandinis, fulminis deum aliquem auctorem esse credant et hunc deum coelum incolere sibi persuadeant?

Homerus quidem quoties *κελαινεφής* vocabulum vel simile epitheton usurpat, non semper Jovem cogitat nubibus obvolutum; sed nonne haec epitheta probant, talia vocabula antiquitus apprimè fuisse Jovi propria? Quae, inquam, causa Homerum movisset ut Jovi *κελαινεφής* epitheton daret, nisi hoc ad physicum Jovem, quamquam tunc jam obsoletum, spectasset. Itali vel hodie dicunt: *per Bacco*; inde profecto non concludere possumus Bacchi cultum apud eos adhuc vigere; sed nonne illa verba, si omnia veterum scripta interiissent, per se probarent antiquitus Bacchum aliquem tanto apud eos viguisse honore, ut in iurijurandi formulam adscisceretur?

Dicenda nobis haec fuerunt, ne quis sententiam nostram prave interpretaretur. »Esto, inquit NIEBUHRIUS l. l., *queis talia placent, illi Homerum ad suum arbitrium deforment!*» At de hoc non agitur, nolumus poetae obtrudere aliena; sed nolumus altera ex parte confundere quae sunt distinguenda.

Sed jam pergamus examinando qualis fuerit Jupiter ille naturalis. Non modo pluvia, nix, grando

et venti ad eum referebantur, sed reliqua etiam meteo-
teora, veluti: Π. 11, 27

1) *Iris*: ... Ἰρισιν ἰοικότες, ἅς τε Κρονίων
ἐν νέφεϊ στήριξε, τέρας μερόπων ἀνθρώπων.

Π. 17, 547

ἥντε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσση

Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν, τέρας ἔμμεναι.

Iris etiam hanc ob causam semper Jovis nuncia est.

2) *Pluvia sanguinis*:

..... Κρονίδης, κατὰ δ' ὑπόθεν ἦκεν ἑρσας

αἵματι μυδαλέας ἐξ αἰθέρος. Π. 11, 53.

Π. 16, 460

αἱματοέσας δὲ ψιάδας κατέχευεν ἔραζε.

3) *Fulmen*: Διὸς κέραννος. Od. 12, 416.

Quare vocatur *τερπικέραννος*, Π. 1, 419.

ἀστεροπητής, ibid. 580. *ὑπιβρεμέτης*, Od. 5, 4.

ἀργικέραννος, Π. 19, 121. *ἐριβρεμέτης*, Π. 13, 624.

ἐρίγδονπος πόσις Ἑρῆς, Od. 15, 112.

Cf. Od. 12, 415: Ζεὺς ἄμυνδς βρόντησε;

Od. 20, 103: ἐβρόντησεν — ὑποθεν ἐκ νεφέων;

ibid. 113: ἡ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' Οὐρανοῦ ἀστε-

ρόεντος; Od. 21, 403, Ζεὺς δὲ μεγάλ' ἔκτυπε σήματα

φαίνων; Π. 10, 5:

ὥς δ' ὅτ' ἂν ἀστράπη πόσις Ἑρῆς ἠϊκόμοιο.

Π. 11, 182: ἔχε δὲ στεροπήν μετὰ χειρὶν.

ibid. 66: τῆλε δὲ χαλκὸς λάμφ' ὥστε στεροπή πατρός

Διός. Il. 13, 243: ἀστεροπῇ ἐναλίγκιος ἦντε Κρονίων — εἰτίναξε — δεικνὺς σῆμα βροτοῖσιν.

4) *Turbines*: Il. 13, 795,

οἱ δ' ἴσαν ἀργαλέων ἀνέμων ἀτάλαντοι ἀέλλη

ἥ ῥά τ' ὑπὸ βροντῆς πατρὸς Διὸς εἴσι πέδονδε.

Omnia igitur Coeli phaenomena a Jove proficiscuntur. Sed idem est cujus ope uvae crescunt:

Od. 24, 343: ἔνθα δ' ἀνὰ σταφυλαὶ παντοῖαι ἔασιν,

ὁππότε δὴ Διὸς ὥραι ἐπιβρίσειαν ὑπερθεῖν.

Et flores gignuntur. Vide enim pulchrum illum locum in quo Juno ut Jovem decipiat a Venere cingulum petit, quo induta Jovem amore percellat. Nube circumdantur, atque:

τοῖσι δ' ὑπὸ χθών δι' αὖ φέν νεοθηλέα ποιήν,

λατὸν θ' ἐρσήεντα, ἰδὲ κρόκον, ἡδ' ὑάκινθον,

πυκνὸν καὶ μαλακόν, ὃς ἀπὸ χθονὸς ὑψὸς ἔεργε.

τῷ ἔνι λεξάσθην, ἐπὶ δὲ νεφέλην ἔσσαντο

καλὴν, χρυσεῖην· στιλπναὶ δ' ἀπέπιπτον ἔεργαι.

Hunc locum qui legerit nec tamen agnoverit Jovem esse deum naturae, qui terram imbre fecundat, illum contendo apertis oculis caecutire. Nam *Ἥρη* eadem est ac terra *ἔρα*, quod multis explicare possemus, nisi longior evasura esset demonstratio. — Neque etiam probanda est sententia illorum qui dicunt et alias terram gaudere quum adveniat deus aliquis,

quique Iliad. lib. 13 versum 27 et sqq. conferre jubent, quibus adumbratur adventus Neptuni, quem lacte excipiunt monstra marina. Sed quid inde concludas sententiae nostrae contrarium? Hoc ipsum nimirum depingit gaudium quod deus diffundit. Gaudent milites quum Martem vident aut Minervam. Similiter gaudet terra et flores gignit quum descendit Jupiter, quia Jupiter florum est auctor, ut fortitudinis Mars aut Minerva. Nec dicas flores exortos esse ut suaviter Jupiter et Juno cubarent; etenim quid tum erit *splendidum ros*? Melius hunc locum intellexit Virgilius, qui versus Homeri manifesto imitatus est Georgicorum libro 2, 325:

» Vere tument terrae et genitalia semina poscunt.

» Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether

» Conjugis in gremium lactae descendit et omnes

» Magnus alit, magno commixtus corpore, foetus."

Eadem res significatur quum *Taia* Coeli uxor vocatur aut quum secundum antiquam quamdam fabulam Jupiter cuculi forma indutus in Junonis gremium refugium quaesiisse narratur. Cuculus enim *veris* indicium est, ut haec narratio prorsus cum Virgiliana conveniat. Eadem porro res indicatur quum narrant Jovem, in auream pluviam mutatum, ad Danaën venisse. Jocosa enim aut, si serio profertur, inepta eorum explicatio est, qui dicunt Jovem Danaës custo-

des auro corrupisse et sic ad eam aditum obtinuisse. Danaë est terra quae Danaos genuit h. e. Argos, quod Danaï urbem Pindarus vocat. Ideo Danaë appellatur Argiva, cfr. Pind. 1) Nem. 10, 10. B. Ideo etiam filius Danaës Perseus nominatur. Nam Perseus nihil est nisi Φερσεύς, ut Περσεφόνη proprie est Φερσεφόνη. Is igitur est qui fructus terrae affert, quemadmodum apud Latinos Feronia (a ferendo) agrorum dea est.

Eadem deinde res significatur quum Jupiter ex Semela Bacchum procreasse dicitur. Nam Semela idem est ac Θεμέλη (quod quidem non exstat, sed cuius similes formae inveniuntur: θεμέλιον, θέμηλον) i. e. fundamentum, terra. Jovis autem μηρός ut cl. WELCKERO videtur, nihil aliud est quam coeli μαῖρα; Coeli enim calore crescunt uvae.

Idem denique indicatur quum Jupiter Cererem adamasse dicitur; Δημήτηρ haud dubie est terra mater. Hujus autem filia est Περσεφόνη aut Φερσέφασσα i. e. (WELCKERO interprete) ea quae terrae fructibus splendet. Φερσεύς jam supra explicuimus, φάσσα autem idem est ac φάεσσα, splendida. Eandem deam Romani Proserpinam appellabant i. e. eam quae

1) νῖος Δανάης τὸν ἀπὸ χερσοῦ γαμῆν ἀντορόντων ἔμμεναι;
Pind. Isthm. 12, 17. B.

pro-serpit, aut *Feroniam*. Intelligitur hac ratione cur sex menses in inferis sit Proserpina apud Plutonem, sex reliquos vero apud matrem degat.

Nimis late fortasse divagatus sum; sed non possunt res mythologicae alia via tractari. Omnia enim praesertim apud Graecos sibi invicem respondent, ita ut, nisi omnia simul aliqua saltem ex parte consideres, verendum sit ne perperam singula explices. Etenim, ut exemplum afferam, ad intelligendum cur Minerva ex Jovis capite prognata esse dicatur, videndum erit, quid proprie de hac dea sit judicandum. Nam Homero illam de Minervae natalibus narrationem, quae jam apud Hesiodum invenitur, non fuisse ignotam, ex epitheto *ὀβριμοπάτερη* (Il. 5. 747) apparet. Putant plerique hunc mythum facilem habere explicationem: Jovis nimirum ingenium esse maximum, Minervam autem esse deam prudentiae; ideo igitur Minervam ex Jovis cerebro esse ortam. Sed *νόος*, *βουλή*, *φρένες* ab Homero non *capiti* tribuuntur sed *σῆθεσι* et *θυμῷ*. Cui accedit quod, si illam interpretationem admittas, plurima carent explicatione. Etenim cur armata est Minerva? Exspectares potius pacis deam. Cur aegida movet? cur *Τριτογένεια* dicitur? Etymologia non adjuvamus; nam quod dicunt *Ἀθήνην* eam deam significare, quae nutricem non habuerit (*ἄ-θηνη*) vix refutatione indiget. Dicunt alii *Ἀθήνην*

esse idem atque *Αἰθήνην* (ab αἶθω) i. e. *lucidam*; sed et hoc dubitationi admodum obnoxium est. Faciliorem explicationem habet *Τριτογένεια* epitheton; nam *Ἀμφιτρίτη* *Neptuni* est uxor, *Τρίτων* ejusdem filius; lacus quidam *Libyae* item *Τρίτων* vocatur. *Τρίτων* igitur spectat ad aquam et *Minerva* est aquae filia. Sed simul *Jovis* filia appellatur, *Διὸς τέκος*, *ὄβριμοπάτρη*. Quomodo haec possunt conciliari? Nata nimirum est *Minerva* ex aqua coelesti. At porro quatenam est illa dea *lucidis gaudens oculis*, *Γλανκώπις*, ex nube prognata? Jam ipse respondeas: *Minerva* est *fulmen*. Et jam antiquitus prolata est illa explicatio, quam nescio qua de causa recentiores fere omnes praetermiserint. Ideo igitur *Minerva* nata est e capite *Jovis*. Ideo igneum habet currum, quo carent reliqui dii. Cfr. *Il.* 5, 745:

ἔς δ' ὄχρεα φλόγεα ποσὶ βήσατο· λάζετο δ' ἔγχος.

Ideo hasta armata est. Ideo astro comparatur: *Il.* 5, 78.

οἶον δ' ἀστέρα ἦκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτω,

ἢ ναύησι τέρας, ἢ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν,

λαμπρόν· τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθήρεσσι γένται·

τῷ εἰκνὶ ἦϊξεν ἐπὶ χθόνα Παλλὰς Ἀθήνη.

nam *Homerus* *ἀστέρα* φησὶ τὸν *ἀστεροειδῶς ἀκοντιζόμενον*. Ideo oculi ejus adeo splendent: *δεινῶ δέ οἱ ὄσσε φάανθεν*. *Il.* 1, 200. Quo loco non sane irata est *Achilli*, immo dulcibus verbis eum mulcet.

Hoc quomodo explicabunt qui Minervam nihil esse nisi prudentiam putant? Oculi enim illi lucidi irae proprii sunt (cf. Il. 1, 104 ὅσσε δὲ οἱ πρὸς λαμπρόωντι ἔκτεην, de Agamemnone irato) non sapientiae. Huc quoque spectat quod Il. 2, 450 Minerva παμφάσσοῦσα dicitur. Ob eandem causam Παλλὰς Minerva appellatur; nam ejus est fulmen quasi hastam vibrare (πάλλειν). Ideo etiam *aegida* tenet, quam praeter eam et Jovem nullus deorum torquet. Nam quod dicunt Apollinem quoque *aegida* manibus tenere Il. 15, 308, id nihil est, quum Jupiter hanc dederit (Il. 15, 229). Versus autem Iiadis lib. 24, 20—21 in quibus Apollo dicitur Hectorem ab interitu servasse, *aegide eum circumdans*, jam a veteribus criticis rejecti sunt. Nusquam enim praeterquam hoc loco aegis χρυσεῖη vocatur, eademque non a malis tuetur et servat, sed terrorem incutit: δεινὴ τ' ἐς φόβον ἀνδρῶν —, ἣν περὶ μὲν πάντη φόβος ἐστεφάνωται. In ea Gorgonis caput inest δεινοῖο πελώρου Il. 5, 741. Minerva autem ipsa aegidem sumit *sine Jovis mandato*.

Quid autem est illa αἰγίς? Homerus ipse explicat, Il. 17, 593:

καὶ τότε ἄρα Κρονίδης ἔλετ' αἰγίδα θυσαυρόεσσαν,
μαρμαρέην· Ἰδὴν δὲ κατὰ νεφέεσσι κάλυπεν,
αστράφας δὲ, μάλα μεγάλ' ἔκτυπε, τὴν δ' ἐτίναξεν.

Eadem *ερεμνή* vocatur Il. 4, 167. Αἰγίς igitur est

idem ac αἶξ (ab αἶσσω) h. e. turbo et aegidem vibrare idem est ac superiores aëris partes commovere.

Sed aliam quoque vocabulum αἶξ habet significationem. Artemidorus enim nos docet (II. 12) αἶγας esse *fluctus*, confirmaturque haec illius vocabuli vis eo quod Αἶγαι appellati erant loci nonnulli Neptuno sacri. Explicatur autem hac via cur Αἰγαίων ab Hesiodo in Titanomachia (vid. schol. Apoll. Rhod. 1167) dictus fuerit filius maris 1). Praemonenda haec nobis erant, quum de Aegaeone apud Homerum legantur haec:

ὁππότε μιν (Δία) ξυνδῆσαι Ὀλύμπιοι ἠθέλον ἄλλοι
 σὺ (Θέτις) τὸν γ' ἐλθοῦσα, θεῶ, ὑπελῦσας δεσμῶν,
 ὧχ' Ἐκατόγχειρον καλέσας' ἐς μακρὸν Ὀλυμπον,
 Αἰγαίωνα. —

τὸν καὶ ὑπέδδισαν μάκαρες θεοί, οὐ δ' ἔτ' ἔδησαν.
 (II. 1, 399 sqq.).

Quid haec sibi volunt? Num putas ea sine caussa esse ficta? Hoc qui statuunt parum mythologicas rationes perspiciunt. Distinguendum quidem est: neque enim omnia quae de Diis narrat Homerus, occultam quamdam habent rationem, et ridiculus foret qui vellet unoquoque loco, cur de hoc illove deo

1) Didymus enim vocat θαλάσσιον δαίμονα, cfr. schol. Villos. ad II. I, 399. Secundum Hesiodum Κνυστολήη ejus erat uxor; quod nomen ad χύματα spectat.

origo. Nam huc quoque spectat quod *Oceanus* omnium *fluviorum pater* vocatur, quum altera ex parte fluvii a Jove oriundi esse perhibeantur, cfr. Od. 4, 477 :

Αἰγύπτιο Διῦπετέος ποταμοῖο :

Σπειρχεῖο, Διῦπετέος ποταμοῖο, Il. 16, 174;

Il. 17, 263 :

ὥς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι Διῦπετέος ποταμοῖο.

Od. 7, 284 :

ἐγὼ δ' ἀπ' ἀνένθε Διῦπετέος ποταμοῖο ἐκβάς.

quo loco ut et praecedenti sermo est de fluvio *qualicunque*. Ita etiam Xanthus Jovis filius vocatur : *ὃν ἄθανατος τέκετο Ζεὺς, Il. 14, 433.*

Jam scholiastas illa differentia offendit; quo factum est ut *torrentes* tantum *Διῦπετεῖς* dictos esse contenderent. Sed si ipse *Αἰγύπτιος* sive Nilus *torrens* appellatur, quis fluvius non eodem poterit nomine nuncupari? Falsa igitur haec distinctio est et fluvii non solum Jovis sed et Oceani filii sunt; quod post ea quae monui nullam habet difficultatem; nam eo res redit: Fluvii e nubibus oriuntur, nubes e mari, ita ut et ab Oceano et a Jove fluvios originem ducere aequo jure contendere possit. Atque hac tantum explicatione admissa, recte fluminum pater Oceanus vocatur. Nam Graecos fugere non poterat fluvios de montibus potius defluere et imbribus ali, quam ex Oceano manare.

Quum igitur mare Jovi nubes et cum his fulgura praebeat, deus marinus jure dici potest Jovis adjutor. Ita autem expresserunt illam sententiam Graeci ut Aegaeona, quem maris deum fuisse supra ostendimus 1), Jovi aliquando auxilium tulisse narrarent, eumque a dea marina (nempe a Thetide) ad Jovem ductum fuisse fingerent, nisi hoc ultimum Homeri est figmentum.

Jupiter sine nubibus vinculis est impeditus e quibus ab Aegaeone expeditur. Talem puto illi fabulae sententiam subesse; quam ne quis temere a me excoGITATAM esse sibi persuadeat, moneo eandem a cl. Welckero in libro de *Aeschylī trilogiis* esse prolatam. Doleo tantum quod illius libri mihi haec scribenti copia non fuerit, quare e propria penu mihi fuerunt argumenta promenda.

Satis prolixè haec a me exposita sunt, unum tamen addo, de quo jam supra dixi, cujus autem immemores esse solent, qui hanc mythologiae tractandae rationem ridentes dicunt se nolle poetae ineptias obtrudere; sciant, inquam, isti irrisores, se cum umbris plerumque et vanis figmentis pugnare; neque enim talia Homero obtrudimus, sed censemus Aegaeonem apud Homerum non esse mare ipsum, sed deum ali-

1) Hanc ob causam eum ab Homero Centimanum appellari (quod spectat ad fluvios in mare decurrentes) apertum est.

origo. Nam huc quoque spectat quod *Oceanus* omnium *fluviorum pater* vocatur, quum altera ex parte fluvii a Jove oriundi esse perhibeantur, cfr. Od. 4, 477 :

Αἰγύπτιο Διῖπετός ποταμοῖο :

Σπέρχειο, Διῖπετός ποταμοῖο, Il. 16, 174;
Il. 17, 263:

ὥς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι Διῖπετός ποταμοῖο.

Od. 7, 284:

ἐγὼ δ' ἀπάνευθε Διῖπετός ποταμοῖο ἐκβάς.

quo loco ut et praecedenti sermo est de fluvio *qualicumque*. Ita etiam Xanthus Jovis filius vocatur :
ὃν ἄθανατος τέκετο Ζεὺς, Il. 14, 433.

Jam scholiastas illa differentia offendit; quo factum est ut *torrentes* tantum *Διῖπετός* dictos esse contenderent. Sed si ipse *Αἰγύπτος* sive Nilus *torrens* appellatur, quis fluvius non eodem poterit nomine nuncupari? Falsa igitur haec distinctio est et fluvii non solum Jovis sed et Oceani filii sunt; quod post ea quae monui nullam habet difficultatem; nam eo res redit: Fluvii e nubibus oriuntur, nubes e mari, ita ut et ab Oceano et a Jove fluvios originem ducere aequo jure contendere possit. Atque hac tantum explicatione admissa, recte fluminum pater Oceanus vocatur. Nam Graecos fugere non poterat fluvios de montibus potius defluere et imbris ali, quam ex Oceano manare.

Quum igitur mare Jovi nubes et cum his fulgura praebeat, deus marinus jure dici potest Jovis adjutor. Ita autem expresserunt illam sententiam Gracci ut Aegaeona, quem maris deum fuisse supra ostendimus 1), Jovi aliquando auxilium tulisse narrarent, eumque a dea marina (nempe a Thetide) ad Jovem ductum fuisse fingerent, nisi hoc ultimum Homeri est figmentum.

Jupiter sine nubibus vinculis est impeditus e quibus ab Aegaeone expeditur. Talem puto illi fabulae sententiam subesse; quam ne quis temere a me excoGITATAM esse sibi persuadeat, moneo eandem a cl. Welckero in libro de *Aeschylī trilogiis* esse prolatam. Doleo tantum quod illius libri mihi haec scribenti copia non fuerit, quare e propria penu mihi fuerunt argumenta promenda.

Satis prolixè haec a me exposita sunt, unum tamen addo, de quo jam supra dixi, cujus autem immemores esse solent, qui hanc mythologiae tractandae rationem ridentes dicunt se nolle poetae ineptias obtrudere; sciant, inquam, isti irrisores, se cum umbris plerumque et vanis figmentis pugnare; neque enim talia Homero obtrudimus, sed censemus Aegaeonem apud Homerum non esse mare ipsum, sed deum ali-

1) Hanc ob causam eum ab Homero Centimanum appellari (quod spectat ad fluvios in mare decurrentes) apertum est.

quem potentissimum, humana forma indutum et jure nostro contendimus non temere a Graecis, praesertim tunc temporis, fabulas illas fuisse excogitatas. Aliqua semper debet fabulae caussa subesse. Sed de illis fabulae quasi elementis Homerum quocunque loco cogitasse, quis est qui dicat? Ineptire potius ii videntur, qui tam perspicuam distinctionem sive non intelligunt, sive consulto praetereunt.

Ex iis quae hujusque disputata sunt apparuit jovem ante omnia esse *Coelicolam deum*. Coelum aspiciunt qui eum invocant: Il. 16, 231:

..... λεῖβε δὲ οἶνον,
οὐρανὸν εἰσανιδῶν· Δία δ' οὐ λάθε τέτυκτέφρανον.

Procul ab hominibus habitat, *τῆλόθι ναίων*, in regionibus coeli aethereis. Sed idem deus cunctam terram regit. Summus Deorum est vel potius Deus in universum. Divisus quidem est orbis universus inter tres fratres, sed Jupiter eorum fortissimus est. Adversatur quidem ei nonnunquam Neptūnus:

καὶ κρατερός περ ἔων μάλιστα τρίτῳ ἐνὶ μοίρῃ,
Il. 6, 193. At idem mox fratri se submittit. Jupiter omnium dominus est. Nec objiciat aliquis hoc ad *homericum* tantum jovem pertinere non item ad *antehomericum*; religionem enim Graecorum principio fuisse stupidam quandam idolatriam, qua, proxima

quaeque, quae sub sensus caderent, divino cultu venerarentur (fétichisme), sed eosdem Graecos sensim a vili illa religione eo esse progressos ut Jovem deorum principem fingerent. Non sine caussa haec addo. Sunt enim nonnulli (inter quos est Naegelsbachius cujus librum supra laudavi), qui contendant nondum perfectam apparere apud Homerum in cultu *unitatem* 1), quamvis eam assequi Poëta conetur. At nisi me omnia fallunt prorsus contrarium hic locum habet. Nam Jovem diu ante Homerum deorum fuisse potentissimum vel hoc solo argumento probatur quod magnae, qua Jupiter antehomerice colebatur, religionis eximium superest monumentum, quod Ulrichsii et Welckeri ingenio veram nactum est explicationem. Etenim locus ille Athenarum qui recentiore tempore a plerisque vocatur *Pnyx*, nihil est nisi immensum Jovis altare. Nam primum *Πυκνός* descriptio quam nobis scriptores antiqui servarunt, in illum locum non quadrat; deinde manifesta superest forma et species altaris; denique tabulae aliquot ibi inventae sunt quibus inscripta sunt verba: *Διὶ ὑψίστῳ*; nec procul ab illo loco lapis inventus est in quo legitur: *Διὸς ὄρος* i. e. *terminus agri Jovi sacri*. Quae inscriptiones licet non sint antiquissimae, quod ne verisimile qui-

1) Senioris quidem aevi vocabulum, sed hoc loco necessarium.

Ibid. 412 Ζεῦ κῦδιστε μέγιστε 1); Ibid. 669 Διὸς ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει. Od. 1, 45 Ζεῦ — ὑπατὲ κρειόντων. Od. 8, 289 ἐρισθε νέος Κρονίωνος. Od. 19, 303 Ζεὺς — θεῶν ὑπατος καὶ ἄριστος. In maximis et gravissimis rebus prae caeteris diis Jupiter invocatur. In Cyclopis antro, inquit Ulyxes:

ἀνεσχέθουμιν Διὶ χεῖρας. Od. 9, 294.

Idem Ulyxes quum filio suo salutem et felicitatem deprecatur, Jovem tantum invocat: Ζεῦ ἄνα, Od. 17, 354.

Cyclopes qui jura humana et divina contemnunt fatentur Jovem se esse fortiozem:

νοῦσον γ' οὐπὼς ἔστι Διὸς μεγάλου ἀλέασθαι.

Od. 9, 411. Dixerat quidem supra v. 276 Polyphemus se nullam habere Jovis rationem. Sed haec inanis jaectatio est. Neque omnia ad verbum sunt intelligenda. Nam si ex hoc loco aliquis concludere vellet, non esse infinitam e mente poetae Jovis potestatem admodum falleretur. Non magis his verbis ejus potentia infirmatur quam quum dicit Apollo: Τυδείδης — νῦν γε καὶ ἀν Διὶ πατρὶ μάχοιτο. Il. 5, 457. Exaggerat tantum poeta herois fortitudinem; sed hoc ipso eximia Jovis vis optime exprimi-

1) Haec verba veterem formulam prodere videntur.

tur; Jovi enim adversari summum esse nefas indicatur; cfr. Il. 8, 144:

ἀνὴρ δέ κεν οὔτε Διὸς νόον εἰρύσσαιτο, οὐδὲ μάλ' ἴφθιμος· ἐπεὶ ἤ πολὺ φέρετερός ἐστιν. Il. 15, 108:

(Jupiter) φησὶν γάρ ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσιν
κάρτεϊ τε σθένει τε διακριδὸν εἶναι ἄριστος.
Il. 18, 588:

ἀλλ' αἰεὶ τε Διὸς κρείσσων νόος ἤπερ ἀνδρῶν.
Nam hoc loco νόος est idem ac Βουλὴ. Quod Jupiter vult id perficitur. Il. 21, 193:

οὐκ ἔστι Διὶ Κρονίωνι μάχεσθαι.
Oceanus ipse qui tamen validissimus est Jovis fulmina reformidat:

ἀλλὰ καὶ ὃς δειδοικε Διὸς μεγάλῳ κεραυνόν.
Sacer Jovi est *avium rex*; nam aquilam Homerus ipse vocat τελειότατον πετεηνῶν, Il. 8, 247. Sed nihil clarius indicat summam Jovis potentiam quam classicus ille locus, quem nescio cur inepta interpretatione torserint mythologorum nonnulli. Il. 8, 18 seqq.:

γνώσετε — ὅσον εἰμὶ θεῶν κάρτιστος ἀπάντων.
εἰ δ' ἄγε, πειρήσασθε, θεοί, ἵνα εἰδέτε πάντες
σειρῇν χρυσελὴν ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοί, πᾶσαί τε θέαιναι.
ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν' ὑπατον μῆστωρ· οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.
ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλωμι ἐρύσσαι,

αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσσαιμ', αὐτῇ τε θαλάσῃ.
σειρῇν μὲν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον Οὐλύμποιο
δησαίμεν· τὰ δὲ κ' αὐτε μετήσοα πάντα γένοιτο.
τόσσον ἐγὼ περὶ τ' εἰμὶ θεῶν, περὶ τ' εἰμ' ἀνθρώπων.

Rude sane symbolum, sed perspicuum et grave.
Jupiter non modo singulis fortior est, sed ταῦτα φησὶ
δεικνὺς ὡς οὐ καθ' ἓνα, συλλήβδην δὲ πάντων κρείτ-
των ἐστὶ, quae sunt verba scholiastae apud Villoiso-
nem. Omnes deos tantum superat potentia ut simul
et terram et mare a sua sede convellere possit. Videbi-
mus postea quomodo versus 25 et 26 sint explicandi;
nam prorsus miranda de illis interpretes sunt commenti.

Quae Jupiter hoc loco dicit nullus deorum negat:
scimus, inquit Minerva, ὁ τοι σθένος οὐκ ἐπιεικ-
τόν. — Alibi quoque idem sed non tam graviter
enuntiatur est. Jupiter Junonem alloquitur:

ἦ οὐ μέμνη, ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν ἐκ δὲ ποδοῦν
ἄκμονας ἤκα δύνω, περὶ χερσὶ δὲ δεσμόν ἱηλα
χρυσέον ἄρρηκτον 1); — ἡλᾶστεον δὲ θεοὶ κατὰ μακρόν
Ὀλύμπον· Αὔσαι δ' οὐκ ἐδύναντο παραστάδον. Π. 15,
18. Vides et hic deos omnes frustra sese Jovi opponere.
Graviter quidem ferunt; sed non possunt vel non
audent ei adversari.

1) Est hic locus quem nescias utrum allegorice explices necne.
Scholiastarum explicatio profecto nulla est; sed fortasse aliquis et
hunc nodum extricabit.

Cfr. Il. 11, 78:

πάντες δ' ἠτιόωντο κελαινεφέα Κρονίωνα.

τῶν μὲν ἄρ' οὐκ ἀλέγιζε πατήρ.

Quae quum ita sint, iterum quaero num aliquis fabulam de Aegaeone temere fictam esse sive ante Homerum sive ab eo ipso sibi persuadeat? Quomodo narratio vulgari de Jove sententiae adeo contraria, alicui in mentem venire potuisset, nisi aliqua caussa subesset, nisi eam seria quaedam meditatio antecessisset.

Summum ergo Jovis est in omnes hominesque deosque imperium. Nec dicas eum Fato esse subiectum. Nam accurate locos, in quibus *μοῖρα* et *αἶσα* occurrunt, considerantibus apparebit Jovem potius fato imperare. *Creuzeri* autem auctoritas ne te moveat, lector, ut ei plus confidas quam tibimet ipsi. Etenim quae ille dicit (*Symbolik* II. p. 458): »Ueberall finden wir diesen Zwiespalt; bald ist Jupiter allmächtig, und Nichts ist über ihm, bald steht er »klagend unter dem Geschick dessen Fügungen er »sich unterwerfen muss, wie jeder andere Gott oder »Mensch"; haec, inquam, quibus argumentis nitantur frustra quaeras. Laudat quidem *Creuzerus* quatuor *Iliadis* versus, quibus opinionem suam comprobare putat: Jovis verba sunt, Il. 16, 433:

ὦ μοι ἔγῳν, ὅτε μοι Σαρπηδόνα, φίλτατον ἀνδρῶν,

μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μερσιτιάδαο δαμῆναι.

Sed accurate perpendas quae sequuntur:

διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε, φρεσὶν ὀρμαίνοντι,

ἢ μιν ζῶντα ἔοντα μάχης ἀπο δακρυόεσσης

θεῶ ἀναρπάξας Ανκίης ἐπὶ πτόρι δήμῳ,

ἢ ἤδη ὑπὸ χειρὶ Μερσιτιάδαο δαμάσσω.

Quos versus ne prava interpretatione corrumpas, dicens ἢ ἤδη indicare aliquando tamen id necessario fore. Haec verba enim non significant *an jam nunc nec vero postea*, sed *an nunc id facturum sim*. Quod qui fieri non posse putat, conferat simillimum locum Il. 5, 368, ubi Hector dicit: οὐ γάρ τ' οἶδ' εἰ ἔτι σφιν ὑπὸ τρωπος ἴξομαι ἢ ἤδη μ' ὑπὸ χειρὶ θεοῖ δαμόωσιν Ἀχαιῶν. Non potest Priami filius dicere se nescire utrum redeat *an jam nunc* moriatur Graecorum manu confectus; nam hoc si diceret, significaret sibi aliquando id necessario futurum esse, quod scimus eum minime sentire et sperare. Etenim etsi notum ei sit aliquando Ilium esse interiturum, nondum tamen id fore arbitratur, quum speret Astyanactem Troianis esse imperaturum, quumque addat: non moriar nisi sors jubeat: οὐ γάρ τις μ' ὑπὲρ αἴσαν ἀνὴρ Ἀΐδι προΐαπει. ibid. 487. Ἡδη igitur hic simpliciter *nunc* est et supra allato loco eodem modo erit intelligendum. Nam si Jupiter Sarpedonem Lyciis restituisset nunquam

idem a Patroclo fuisset occisus. Et jam scholiasta Venetus recte hunc locum est interpretatus: οὐ τοῦτο, inquit, σκέπτεται ὁ Ζεὺς, εἰ ὅτερον ὑπὸ Πατρόκλω δαμάσει, ἀλλ' ὅτι δύο βούλεται, ἢ σῶσαι, ἢ δαμάσαι νῦν. Jupiter igitur si dicit: μοῖρα μοι δαμῆναι Σαρπηδόνα, hoc tantum vult: Ehen! » Patroclus mihi Sarpedonem, occidet, si pugna longius extendetur; nam fortior est.¹⁾

Audi etiam Junonis responsum, 442: ἄνδρα θνητὸν ἔόντα, πάλαι πεπρωμένον αἴσῃ, ἃψ ἐθέλεις θανάτοιο δυσηχέος ἐξαναλῦσαι; ἔρδ'· ἀτὰρ οὐ τοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι. Non negat Juno Jovem id posse quod in mente habeat. Vocat quidem Sarpedonem πεπρωμένον αἴσῃ, sed utpote θνητὸν ἔόντα. Hoc autem i. e. non posse homines mortem fugere, quidni ab ipso Jove constitutum credamus? Nam Αἴσα Jovis esse dicitur Il. 17, 321 et 9, 618; itemque μοῖρα quae non est alia atque αἴσα ad deos pertinet, vel potius ad Jovem, qui omnibus diis fortior est, Od. 22, 413; 3, 269 1). Neque igitur Creuzerus suam de fato sententiam quatuor illis versibus comprobavit; minus etiam aptus ad demonstrandum est alius, quem lau-

1) Nolo urgere alium locum Il. 15, 67, ubi Jupiter inter ea quae sibi facienda, proposuerit Sarpedonis quoque mortem refert, quum illi versus a nonnullis, jure ni fallor, pro insitiis habeantur.

μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μερσιτιάδαο δαμῆναι.

Sed accurate perpendas quae sequuntur:

διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε, φρέσιν ὀρμαίνοντι,

ἢ μιν ζῶον ἔοντα μάχης ἄπο δακρυόεσσης,

θεῶν ἀναρπάξας Ἀνκίης ἐπὶ πύοντι δήμῳ,

ἢ ἤδη ὑπὸ χειρὶ Μερσιτιάδαο δαμάσσω.

Quos versus ne prava interpretatione corrumpas, dicens ἢ ἤδη indicare aliquando tamen id necessario fore. Haec verba enim non significant *an jam nunc nec vero postea*, sed *an nunc id facturum sim*. Quod

qui fieri non posse putat, conferat simillimum locum Il. 5, 368, ubi Hector dicit: οὐ γὰρ τ' οἶδ' εἰ ἔτι σφιν ὑπὸ Τροάδος ἔσομαι ἢ ἤδη μ' ὑπὸ χειρὶ θεοῖ δαμόωσιν Ἀχαιῶν. Non potest Priami filius dicere se

nescire utrum redeat *an jam nunc* moriatur Graecorum manu confectus; nam hoc si diceret, significaret sibi aliquando id necessario futurum esse, quod scimus eum minime sentire et sperare. Etenim etsi notum ei sit aliquando Ilium esse interiturum, nondum tamen id fore arbitratur, quum speret Astyanactem Troianis esse imperaturum, quumque addat: non moriar nisi sors jubeat:

οὐ γὰρ τίς μ' ὑπὲρ αἴσαν ἀνὴρ Ἀΐδιν προΐαπει.

ibid. 487. Ἡδη igitur hic simpliciter *nunc* est et supra allato loco eodem modo erit intelligendum. Nam si Jupiter Sarpedonem Lyciis restituisset nunquam

idem a Patroclo fuisset occisus. Et jam scholiasta Venetus recte hunc locum est interpretatus: οὐ τοῦτο, inquit, σκέπτεται ὁ Ζεὺς, εἰ ὕστερον ὑπὸ Πατρόκλῳ δαμάσει, ἀλλ' ὅτι δύο βούλεται, ἢ σῶσαι, ἢ δαμάσαι νῦν. Jupiter igitur si dicit: μοῖρα μοι δαῖναι Σαρπηδόνα, hoc tantum vult: Eheu! » Patroclus mihi Sarpedonem, occidet, si pugna longius extendetur; nam fortior est.”

Audi etiam Junonis responsum, 442:

ἄνδρα θνητὸν ἔόντα, πάλαι πεπρωμένον αἶσῃ,

ἄψ' ἐθέλεις θανάτοιο δυνήχεος ἐξαναλῦσαι;

ἔρδ' ἀτὰρ οὐ τοὶ πᾶντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι.

Non negat Juno Jovem id posse quod in mente habeat. Vocat quidem Sarpedonem πεπρωμένον αἶσῃ, sed utpote θνητὸν ἔόντα. Hoc autem i. e. non posse homines mortem fugere, quidni ab ipso Jove constitutum credamus? Nam Αἶσα Jovis esse dicitur Il. 17, 321 et 9, 618; itemque μοῖρα quae non est alia atque αἶσα ad deos pertinet, vel potius ad Jovem, qui omnibus diis fortior est, Od. 22, 413; 3, 269 1). Neque igitur Créuzerus suam de fato sententiam quatuor illis versibus comprobavit; minus etiam aptus ad demonstrandum est alius, quem lau-

1) Nolo urgere alium locum Il. 15, 67, ubi Jupiter inter ea quae sibi facienda, proposuerit Sarpedonis quoque mortem refert, quum illi versus a nonnullis, jure ni fallor, pro insitiis habeantur.

dat, Odyssene (1, 35) versus: ὦ, καὶ νῦν Αἴγισθος;
ὑπέρομον' Ἀτρεΐδαν Γῆμ' ἄλογον μνηστῆν; quo quid
sibi Creuzerus voluerit, plane non intelligo.

Itaque vides quibus argumentis Creuzeri de fato
aquod Homerum opinio nitatur, quam tamen idem
multis verbis illustrat et pro certissima habet. Paulo
longius haec persecutus sum, quia ostendere volui
quam leviter nonnunquam Creuzerus opiniones suas
proposuerit, ne quis mihi vitio vertat, pleraque quae
in ejus Mythologia de Jove leguntur a me fuisse
rejecta. Sunt tamen loci nonnulli qui per se non
demonstrent utrum Jupiter a μοῖρα, an haec ab illo
pendeat. Sed nusquam Jupiter fato subjectus esse
dicitur, quum contra multi loci fatum Jovī vel diis
in universum parere demonstrent; ex. gr. Il. 20, 365
Achilles dicit: κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι ὅποτε κέν
δῆ — Ζεὺς ἐθέλη τελέσαι; et postea Patroclus
cum Achille haec verba communicat: σοὶ μοῖρα —
τείχει ὑπο Τρώων εὐηγενέων ἀπολέσθαι, Il. 23, 80.
Quod igitur Achilles appellaverat voluntatem Jovis,
Patroclus μοῖραν appellat. Ita etiam Ulixis reditus
μοῖρα nuncupatur Od. 9, 532:
ἀλλ' εἰ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους ἰδέειν, quum tamen
hunc reditum a Jovis arbitrio pendere nos poëta do-
cuerit lib. 1, 76; dicit enim Jupiter:

ἀλλ' ἄγεθ', ἡμεῖς οἷδε περιφραζώμεθα πάντες
 γόστον, ὅπως ἔλθῃσι Ποσειδάων δὲ μεθήσει
 ὃν χόλον· οὐ μὲν γάρ τι θυνησεται ἀντία πάντων
 ἀθανάτων ἀέκητι θεῶν ἐριδαινέμεν οἶος.

Cui accedit quod etsi Μοῖρα persaepe humanam sortem nere dicitur (cfr. Il. 20, 127: τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ Αἴσα γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ) idem tamen nonnunquam de Jove perhibetur:

ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος, ὅτε Κρονίων
 Ὀλβον ἐπεκλώσει γαμέοντί τε γεινομένῳ τε, Od.
 4, 207; ὥδε που ἄμμιν Ζεὺς ἐπὶ γεινομένοιισιν
 (h. e. quo momento nascimur) τοι κακόητα βαρεῖαν, Il.
 10, 70; ἀλλ' ὅτε δὴ ἔτος ἦλθε, περιπλομένων ἐνιαυτῶν,
 τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἶκόνδε νέεσθαι, Od.
 16, 64; 1, 16.

Res summae et gravissimae ex. gr. totum Iliadis argumentum, Jovis voluntati tribuuntur: Αἰὼς δ' ἐτελείετο βουλή, Il. 1, 5.

Quid autem sibi vellent verba haec: οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν, οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅ τι κεν κεφαλῇ καταγείσω, Il. 1, 526; quid sibi vellent, si Jupiter fato parere debuisset? Idem de hoc versu dicendum: Ζεὺς δίδωσιν ἀνδράσιν ἀλφειστήσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν, ἐκάστω, Od. 1, 349. Quocum conferenda sunt verba Odysseae 4, 237: δύνεται (Jupiter) γὰρ ἅπαντα. Neque quod aurea libra Jovi tribuitur ali-

cujus momenti est, quum id quod lib. II. 16, 644 *Jovis consilium* appelletur, postea v. 658 ad *illam libram* referatur, quumque Jupiter ipse auream fati libram inclinare dicatur.

Nolo omnes, quibus sententia mea confirmari possit, locos congerere, quum res perspicua sit. Si quis autem haec accuratius persequi velit, adeat ECKENBRECHERI, quam supra laudavi, dissertationem.

Jupiter itaque summum ubique habet imperium; licet enim orbis in tres partes sit divisus, e quibus coelum potissimum ad Jovem pertineret, nec reliquae tamen partes Saturni filio clausae sunt; nam *et ἐνθάξῃ πόντον*, Od. 5, 304 1) *et inferorum deus* (Ζεὺς καταχθόνιος) vocatur Il. 9, 457. Sed quis sit ille Ζεὺς καταχθόνιος paullo accuratius examinemus. Nam semel tantum apud Homerum mentio ejus facta est, nec tamen ab ullo haec verba sunt addubitata. Supersedent quidem interpretum plerique de his verbis disputare, dicentes Jovem καταχθόνιον esse Plutonem; sed hoc quo jure dicunt? Uterque haud dubie est inferorum deus; sed quid inde consequitur? Plutonem vocari hoc loco Δία καταχθόνιον? Minime. Nam Pluto, qui in triplici illa, de qua supra dixi,

1) Hoc nempe putat Ulyxes; sed Neptunus, non Jupiter, mare turbaverat.

orbis partitione, tam distinctam a fratribus habet personam, quomodo possit appellari *Ζεὺς καταχθόνιος*, equidem non video. Ne multa, si hoc loco sermo est de Jove *καταχθονίῳ*, fuit etiam haud dubie *Ζεὺς θαλάσσιος*; ita ut tres mundi partes ipse Jupiter regere diceretur, sive quodammodo triplex esse fingeretur: *οὐράνιος, θαλάσσιος, καταχθόνιος*. Quum autem hoc proprium sit mythologiae Graecorum, perinde atque aliorum populorum, ut e singulis deorum potestatibus et proprietatibus singulos novos deos effingat 1), factum est ut Jovis in mare potestas novo cuidam deo, Neptuno, tribueretur, eodemque modo *Ζεὺς καταχθόνιος* in Platonem mutaretur. Confirmatur haec conjectura eo quod Pausanias narrat *Larissae* servatam fuisse antiquissimam Jovis imaginem tribus oculis insignitam, *Larissae* nomen Pelagicae originis indicium est; quumque nusquam nisi hoc loco tam miri figmenti mentio fiat, non errare me puto, si dixero imaginem illam fuisse *vetustissimam*, immo Homeri aetate antiquiorem; nam Jovis statua, tribus oculis ornata, tam rudem prodit artem, ut ab Homeri tempore aliena esse videatur. Quid autem illa imago significet statim apparet et

1) Perspicuum exemplum praebet *Υπνος*, qui quoniam deus est cujus imperio omnes paremus, *Πασὶ θεῖον* uxorem habere dicitur.

jam Pausanias recte coniecit nempe tribus illis oculis triplicem Jovis in *coelum*, *mare* et *terram* potestatem indicari. — Antiquissimo igitur tempore Jupiter totum mundum regere credebatur; postea singulis orbis partibus singuli dii praepositi sunt, ita tamen ut Jupiter summum imperium retineret.

Sed non modo maximus deus Jupiter, aeternus quoque et immortalis est, nec natus, nec moriturus, quique a se ipse procedit. Nam filius est *Κρόνου* i. e. *temporis*. Tempus autem non creat aut generat, sed in tempore res creantur. Qui nullum, praeter tempus, patrem habet, natus non est, per se ab aeternitate exstitit.

Consequitur ex iis quae diximus Jovem omnium rerum esse creatorem. Huc spectant HomERICA verba: *Ζεὺς πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*, de quorum explicatione interpretes multa, mihi tamen minus probata, commentati sunt. Ridicula enim est scholiastarum explicatio, qui Jovem *solum* non modo *deos quosdam*, sed etiam *quosdam homines* genuisse dicunt; reliquos autem deos aut homines tantum genuisse aut deos, ita ut jure propterea Jupiter *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε* appellatus sit!

Nec illorum sententiam probare possum, qui *πατὴρ* vocabulum ad mansuetudinem Jovis et paternum ejus animum referunt, laudantes verba Odysseae 2, 47:

Ulyxes ἐν ὑμῖν τοῖσδεσσι βασιλευε, πατήρ δ' ὡς ἥπιος ἦεν. Sed quid inde lucreris? Ferrem fortasse si diceretur tantummodo Ζεὺς πατήρ; sed quum adjiciatur ἀνδρῶν τε θεῶν τε, non possum assentiri. Ita etiam quum Il. 1, 534 Homerus dicit, Jovi domum reverso, omnes deos e sedibus suis surrexisse σφοῦ πατρός ἐναντίον, nimis artificiosum mihi videtur de Jovis mansuetudine cogitare aut animo paterno. Cur apud deos tantum dominus simul pater vocatur? solemus plerumque humana ad deos transferre; sed hunc usum apud homines exstitisse nemo dum probatum ivit; nam quod Vossius (hymn. in Cererem v. 322) illam locutionem priscis et pastoriciis temporibus vindicat, nihil est nisi mera conjectura. Si autem ad antiquiorem aetatem regrediamur necesse est, quidni certa incertis, simpliciora obscurioribus praeferamus? Vidimus supra Jovem olim fuisse universi orbis dominum, non creatum, per se existentem. Talem autem deum apparet necessario aliquando habitum fuisse pro rerum omnium creatore. Quid jam impedit quominus ad hanc Jovis naturam epitheton πατρός ἀνδρῶν τε θεῶν τε referendum esse censeamus. Plus septuaginta locis illa verba apud Homerum reperiuntur; sunt igitur quasi formula consecrata ex antiquiore tempore nobis servata. Si igitur vetus formula cum veteri notione convenit, quae ratio

vetat ad hanc illam referre? *Jupiter igitur omnium rerum est creator; nam vel temporum auctor est: Διὸς μεγάλου ἐνιαντοί*, Il. 2, 134; *Διὸς ὦραι*, Od. 23, 343. Idem vero *summa sapientia praeditus est*, quod innumeris exemplis comprobatur: *μητίετα* vocatur Il. 1, 508; Hector appellatur *Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος*, Il. 7, 47 et Ulixes, omnium hominum sapientissimus, eodem nomine insignitur Il. 2, 169. Nihil Jovem fugit, nec ea quae ipsi faciunt dii:

ἀλλὰ μάλ' οὐπῶς ἔστι Διὸς νόον αἰγιόχοιο
οὔτε παρεξελθεῖν ἄλλον θεὸν οὔθ' ἀλιῶσαι, Od. 5, 103.

Inde Jovem ut testem invocant, quippe qui omnia sciat: *Ζεὺς γάρ που τόγῃ οἶδε*, Od. 14, 119; Minos ideo sapiens dicitur quod fuerit *Διὸς μεγάλου δορίστης* (confabulator), Od. 19, 179. Cfr. Od. 20, 75: *Ζεὺς - ὁ γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα*. Il. 13, 631:

Ζεῦ πάτερ, ἧ τέ σέ φασι περὶ φρένας ἔμμεναι ἄλλων
ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν. Il. 15, 461, *Διὸς πυκινὸς νόος*. —

Nolo omnia congerere exempla, quia jam ad Jovem *homericum* festino. Una tamen res adhuc absolvenda est, disquisitionem nempe de *Olympo* ejusque a *Coelo* differentia, quae disputatio nos ad Jovem humana specie indutum deducet.

Quum Jupiter coelum praesertim habitet et imbribus terram foecundet, nubes autem in summis montibus haerere videantur, consentaneum est Jovem

praesertim in montibus cultum fuisse. Constat porro religionis et cultus Graecorum antiquissima vestigia nos semper ad Thessaliam relegare ad eamque regionem, quae est circa Olympum. In hoc igitur Olympo Jovem praecipue fuisse adoratum, eumque ibi secundum Graecorum sententiam habitare, non est quod miremur. Sed et alii montes ei erant sacri, inter quos persaepe Ida mons nominatur. Ex gr. Agamemnon his verbis Jovem invocat Il. 3, 275: Ζεῦ πάτερ, Ἰδῆθεν μεδέων; immo et templum ibi habebat: ἐνθα δὲ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις. In Creta insula eodem nomine mons Jacri sacer appellabatur. Alio loco in universum e summis montibus Jupiter dicitur vim suam exercere:

ὥς δ' ὅτ' ἀπ' ἐνυψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλου
κινήσῃ πυκινὴν νεφέλην στεροπηχερέτα Ζεὺς.

Multos alios montes, qui non ab Homero nominantur, Jovi sacros enumerat CREUZERUS, (Symbolik II, p. 532 sq.); sed idem dicere non debebat montes ipsos nonnunquam divino honore fuisse cultos. Laudat ad sententiam suam firmandam initium vigesimi Iliadis libri, ubi legitur:

Ζεὺς δὲ Θέμιστα κέλευσε θεοῦς ἀγορήνδε καλέσσαι
κράτος ἀπ' Οὐλύμποιο πολυπύχου.

Mira, inquit, totius loci ratio est et veteres aliqui sub nomine κρατός Οὐλύμποιο ipsum Jovis caput la-

tere ejusque πτυχάς ad orbis regiones spectare putarunt. Multa deinde congerit de Διὸς πτυχῆς, tum autem addit: »Denn mit einem Worte, es gab eine »Ansicht wonach der Olympus dem Griechen eben- »sowohl als Gott war, wie der Berg Argaeus den »Cappadociern.“ Mihi quidem, ut dicam quod sentiam, talia somnia refutatione non indigere videntur, quia nullo nituntur argumento neque certo neque probabili.

Quamvis igitur Graeci non Olympum venerati sunt ut deum, apparet tamen ex supra allatis caussis cur illum montem Jovis domum esse dixerint. Et quum altera ex parte coelum proprie Jovis habitatio sit, mirandum non est coelum ipsum aliquando fuisse appellatum Olympum. Quo fit ut, quum de Olympo sermo sit, non semper una eademque res sit intelligenda; nempe modo ad Thessaliae montem, modo ad coelum spectat nomen Olympi. In Iliade enim Olympus nonnunquam vocatur ἀγαννιφος (Il. 1, 420; 18, 186) aut νιφόεις, Il. 18, 616; quibus locis de monte sermonem esse apparet; sed in Odyssea 6, 43 sqq. prorsus aliter adumbratur Olympus:

Οὐλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἔδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
ἔμμεναι· οὐτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὐτε ποτ' ὄμβρος
δεύεται, οὐτε χιῶν ἐπιπίλναται ἀλλὰ μάλ' αἰθήρη
πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη·

Non hic de nivoso Olympo sed de coelo loqui poetam in aprico est. Quum autem nunquam in Odysea ἀγάννιφος epitheton Olympo tribuatur, hanc recentiores finxerunt distinctionem, ut in hac Olympus sit *coelum*, in Iliade *mons*, (vide Cammann Homerische Vorschule p. 157). De Odysea res fortasse vera; de Iliade non item; nam et ibi nonnunquam Olympi nomen ad coelum vel potius ad montem coelestem referendum est. Etenim libro 8 vers. 25 et 26 ubi Jupiter gloriatur se terram et mare, si velit, ad Olympum fune alligaturum, non potest de Thessaliae monte cogitasse Homerus, quum addat:

τὰ δέ (i. e. terra et mare) καὶ αὐτὲ μετήρα πάντα γένοίτο. Adnotant interpretes Jovem gloriosius jactare rem quae fieri non queat, quum ad Olympum in terra situm non possit terra ipsa alligari; sed id orationis fervori esse condonandum. At quorsum hac ambages? De coelesti enim agitur Olympo.

III.

DE JOVE HOMERICO.

Sed Olympus locis nonnullis ita depingitur ut deprehendere tibi videaris regiam aulam. Sedent cum Jove dii reliqui χρυσέω ἐν δαπέδῳ, Il. 3, 2 in solo aureo; tota Jovis domus splendidissima est: φράζω, inquit Telemachus, Od. 4, 71

χαλκοῦ τε στεροπὴν καὶ δώματα ἡχέοντα,
 χρυσοῦ τ' ἠλέκτρον τε καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος.
 Ζηνὸς που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν
 ἀύλη.

Porticibus instructa est: nam fluvii

ἐλθόντες δ' ἐς δῶμα Διὸς νεφεληγερέταο,
 ξεστῆς αἰθούσῃσιν ἐφίζανον. (Il. 20, 10).

E ferro facta est (χαλκοβατές δῶ, Il. 1, 426) a Vulcano fabricata, qui reliquis quoque diis palatia ibi exstruxit (Il. 1, 607). Hi quotidie veniunt ad Jovis

mensam, ut nobiles (βασιλεῖς) ad regem. Consilia cum eo ineunt; nec desunt diis quae homines delectant, II. 1, 602:

ὥς τότε μὲν πρόπαν ἡμαρ ἐς ἡέλιον καταδύντα
δαίνυντ'· οὐδέ τι θυμὸς ἰδενέτο δαιτὸς ἔκσης,
οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ' Ἀπόλλων,
Μουσάων θ' αἰ ἄειδον, ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

Nectar deorum vinum est: μετὰ δέ σφισι πότνια
Ἥβη νέκταρ ἰωνοχόει, II. 4, 2. Jupiter non modo
est rex, sed maritus, etiam et maritorum curis vexatur; nam Thetidi dicit:

ἦ δὴ λoίγια ἔργ' ὅτε μ' ἐχθοδοπήσαι ἐφάσεις
Ἥρη, ὅτ' ἄν μ' ἐρέθῃσιν ὀνειδείους ἐπέεσσιν.
ἦ δὲ καὶ αὐτὼς μ' αἰεὶ ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι
νεικεῖ, II. 1, 518 sqq.

Timet igitur Junonis iram: abi, inquit, ne te videat Juno (ibid. v. 527), quae semper μοι ἔωθεν ἐνικλᾶν ὅττι νοήσω, II. 8, 408. Decipitur Ἀτῇ — Ζῆν' ἄσατο; nam eum Ἥρη θῆλυσ ἐοῦσα δολοφροσύνης ἀπάτησεν (II. 19, 98). Non jam creat Jupiter, sed generat, non ubique est nec omnia videt (ἐνρύοπα), sed ut bellum Trojanum conspiciat in Idam descendit. Somnus ei non minus quam hominibus necessarius est; in lecto requiescit; sed curae nonnunquam somnum ab ejus oculis arcent (cfr. init. 2^{di} II. lib.).

Possem multa adjicere; sed sententia mea jam plana est. Quantopere enim hic Jupiter differat ab eo quem supra adumbravimus unusquisque videt. Ex deo homo factus est, ex orbis domino rex. Potentia ejus quidem, ut antea, maxima est; sed anthropomorphismus 1) eum prorsus mutavit. Hoc autem non in graeca tantum religione, sed in plerisque aliis factum. A numine enim intelligibili homines saepius ad spectabile delabuntur, quam ab hoc ad illud ascendunt. Non hic loquor de philosophorum contemplationibus, sed de populari religione, de cultu communi. Ita exempli gratia apud Indos *Vedae* abstractam quidem sed simplicem religionem ostendunt. Quo magis autem ab antiquissimo illo cultu ad tempora recentiora devenimus, eo magis etiam Coeli, Ventorum, Ignis dii concreti fiunt et mortalibus similes. Symbolicae narrationes mutantur in historias mythologicas, e deorum qualitatibus novi dii prodeunt, quo fit ut tandem ipsa religio abeat in immensam fabularum saepe ineptarum saepe etiam obscoenarum multitudinem. Hoc igitur humanae proprium videtur imbecillitati, neque ideo nimis acerbè Homeri mythologiam increpemus. Negari autem illa res mi-

1) Barbarum quidem vocabulum, sed in cuius locum non habeo quod substituiam.

nime potest; nam hoc proprium ejus mythologiae est ut nobis deos tanquam homines depingat, vi quidem et sapientia praecellentes, sed humanis tamen animi perturbationibus affectibusque obnoxios. Quamobrem Jovem illum quem modo descripsi *homericum*, alterum, de quo supra, *antehomericum* appellavi.

Homerici igitur Jovis vim paullo accuratius persequamur et videamus quatenus ratio inter eum et res humanas intercedat. Quod ut aliquo saltem ordine faciamus, examinemus primum quae ad praesens tempus, tum quae ad futurum spectent. Tempore praesenti homines potissimum deorum auxilium implorant et exspectant:

1) *In bello*. Hujus arbiter summus semper Jupiter est. Ei tribuitur Trojae excidium (Π. 1, 128):

αἶ κέ ποθι Ζεὺς δώσει πόλιν Τροίην εὐτείχεον ἑξα-
λαπάξαι. Π. 2, 117: [Ζεὺς] δὲ δὴ πολλῶν πολιῶν
κατέλυσε κάρηνα ἣδ' ἐπὶ καὶ λῦσει. Π. 4, 84:

Ζεὺς, ὅσ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται.
Argivi victi dicuntur Διὸς μάστιγι δαμέντες, Π.
12, 37. Belli eventus Jovi soli tribuitur, Π. 15,
493:

θεῖα δ' ἀρίγνωτος Διὸς ἀνδράσι γίγνεται ἀλκή,
ἡμὲν ὀτέοισιν κῦδος ὑπέρτερον ἐγγυαλίξῃ,
ἣδ' ὅτινας μινύθῃ τε καὶ οὐκ ἐθέλῃσιν ἀμύνειν.
ὥς νῦν Ἀργείων μινύθει μένος ἄμμι δ' ἀρήγει.

Proeto Jupiter Argeos ὑπὸ σκήπτρῳ ἐδάμασσεν, Il. 6, 159.

Quo fit ut belli gloria ad eum sit referenda. Nam interdum ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην 'Ρηϊδίως, ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνει μαχέσασθαι. Il. 17, 177; idemque ἀρετὴν ἀνδρεσσιν ὀφείλει τε μιν νύθει τε. Cfr. Il. 9, 117: ἀντί νυ πολλῶν λαῶν ἔστιν ἀνὴρ, ὄντι Ζεὺς κῆρι φιλήσῃ.

2) In rebus infestis et periculosis: Nam omnia bona et mala a Jove proficiscuntur. Il. 2, 111, quaeritur Agamemnon:

Ζεὺς με μέγα Κρονίδης ἄτη ἐνέδησε βαρείῃ.

Cfr. Od. 3, 133 Ζεὺς λυγρὸν ἐνὶ φρεσὶ μῆδετο νόστον 'Αργείοις. Ibid. v. 160, sperabamus, inquit Nestor, felicem reditum Ζεὺς δ' οὐπω μῆδετο νόστον· σκέτλιος, ὅς ῥ' ἔριν ὥρσε κακὴν. Od. 16, 117:

ὥδε γὰρ ἡμετέρην γενεὴν μούνωσε Κρονίων.

Od. 17, 424: Jupiter (Ulixis verba sunt) mihi omnia abstulit, ἥθελε γὰρ πον. Od. 18, 273: τῆστε (Pe-

nelopae) Ζεὺς ὄλβον ἀπῆρθεα. Accusat Menelaos Jovem: Ζεῦ πάτερ, οὐτις σέϊο θεῶν ὀλωώτερος ἄλλος. Il. 3, 365.

Α Jove malorum finis exspectatur: αἶ κέ ποθι Ζεὺς ἐξοπίσω περ πάσῃ οἴζυος, Od. 4, 34. Nam: θεὸς ἄλλοτε ἄλλῳ Ζεὺς ἀγαθὸν τε κακὸν τε διδοῖ. Od. 4, 237.

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον Ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν
 ἐσθλοῖς ἢ δὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἐκάστω.
 Od. 5, 408: γαῖαν ἀελπτέα δῶκεν ἰδέσθαι Ζεὺς.

Jupiter domesticae felicitatis est auctor ideoque vocatur ἔρκειος, Od. 22, 334.

Opportunae et infelices cogitationes, quae vel nos liberant, vel perdunt Jovi tribuuntur, Od. 14, 273:

αὐτὰρ ἐμοὶ Ζεὺς αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ τοῦτο νόημα ποίησε. Od. 21, 102:

Ὡς πόποι, ἣ μάλα με Ζεὺς ἄφρονα θῆκε Κρονίων.
 Il. 9, 377:

ἐν γὰρ οἱ φρένας εἴλετο μητιέτα Ζεὺς. Il. 9, 377.
 Jupiter est auctor prudentiae humanae, Il. 13, 732:

ἄλλω δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον ἐνδύοπα Ζεὺς ἐσθλόν.

Optime autem haec sententia, a Jove venire omnia bona et mala, mytho illo exprimitur quem legimus, Il. 24, 527:

δοιοὶ γὰρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὐδὲ δῶρων, οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων.

Quae sententia nos eo deducit ut investigemur.

3) *Res ad justitiam pertinentes.* Nam justitiae munus duplex est: bonos praemiis remuneratur, malos poenis afficit. Neque igitur est cur illis verbis offendamur. Scholiastae quidem veteres nesciunt quomodo supra relata Achillis verba conciliari possint

cum iis, quae Jupiter dicat primo Odysseae libro v. 32:

Ὡ πόποι, οἷον δὴ νῦν θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
ἐξ ἡμέων γάρ φασι καὶ ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῆσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπέρομον ἄλγε' ἔχουσιν.

Proponunt itaque hanc illius difficultatis *lūsin*, ut dicant in Odyssea loqui Jovem, in Iliade autem Achillem, hujus igitur verba minus esse vera quam illius. Sed aliud latet. Dissensio enim illa quae primis aevi Christiani saeculis orta est inter eos qui vel *praedestinationem* vel *liberum arbitrium* defenderent, jam hic primis lineis adumbratur. Torsit enim et torquebit semper illa quaestio hominum mentes. Sed palmam fert apud Homerum *libertas humana*, licet obloquantur nonnulli, quibus fati necessitas, jam apud Homerum, ut ajunt, conspicua, semper in ore est, ut paganorum religionem accusent. Sed ii videant ne bonam causam pravis argumentis reddant deteriore. Fatalis illa et tristis necessitas quae apud Herodotum et tragicos poetas tantum valet, quaeque habetur quasi tragoediae fundamentum, ab Homeri carminibus abest. Hominum peccata malorum quibus afficiuntur sunt causa. Propter justitiam divinam et occidit Troja et interimit procos Ulyxes.

Nam quod ad Trojae excidium spectat, non praetereundum est initium quarti Iliadis libri, ubi Jupi-

ter Junonis irae potius quam justitiae Trojae occasum concedere videtur. Dicit quidem Junoni:

Π. 4, 36:

ἔρξον ὅπως ἐθέλεις, μὴ τοῦτό γε νεῖκος ὀπίσσω
σοὶ καὶ ἔμοι μέγ' ἔρισμα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται.
et paullo post addit. v. 43:

καὶ γὰρ ἐγὼ σοὶ δῶκα ἐκῶν ἀέκοντί γε θυμῷ.
αἰ γὰρ ὅπ' ἡλίῳ τε καὶ οὐρανῷ ἀσπερόδεντι
ναϊετάουσι πόλῃς ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
τάων μοι πέρι κῆρι τίεσκετο Ἴλιος ἱρή,
καὶ Πριάμος, καὶ λαὸς ἑὺμμελίῳ Πριάμοιο.
οὐ γὰρ μοὶ ποτὲ βωμὸς ἐδείκτο δαιτὸς ἕως,
λοιβῆς τε, κνίσσης τε.

Sed veram horum verborum rationem perspexit scholiasta Villoisonis qui φειδεται, inquit, αὖξων τὴν χάριν. φησὶ γὰρ Ποσειδῶν (Π. 20, 306): ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων. Junoni enim Jupiter persuadere vult se Trojae excidium ei permittere invitum, ut propterea gratiam sibi habeat nec in posterum adversetur. Nam saepe, ut supra diximus, solebant Junonem et Jovem intercedere querelae. Verum enim vero propter duplex Laomedontis perjurium, qui Neptunō mercedem et Herculi equos promissos denegaverat, exitium Jupiter statuerat ejus progeniei. Accedit quod Helenam Graiis reddere Trojani recusant (Π. 11, 125), quod iidem, quum

jurassent (lib. II. 3) se, si vinceret Paridem Menelaus, Helenam Graecis restitutos; tamen jurisjurandi nulla habita ratione 1) belli caussam renovant ipsi. Jupiter autem est perjurii ultor. Itaque in foederibus et jurejurando praeceteris diis invocatur. Cfr. II. 7, 76:

ὦδε δὲ μυθέομαι, Ζεὺς δ' ἅμ' ἐπιμάρτυρος ἔστω.

Ibid. v. 411: ὅρνια δὲ Ζεὺς ἴστω. Ob haec igitur omnia Jupiter Trojam excidio tradit. Ceterum bene hanc quaestionem exposuit, quamquam prolixius, ECKENBRECHERUS, p. 24 sqq.

Jupiter porro erat supplicum, hospitem pauperumque adjutor; hos enim laedere nefas habebatur:

πρὸς Διὸς εἰσιν ἅπαντες ξεῖνοί τε πτόχοί τε, Od. 6, 207. Od. 7, 164: Διὶ τερπικεραῖνῳ

σπείσομεν, ὃςθ' ἰκέτησιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ. Od. 9, 270:

Ζεὺς δ' ἐπιτιμῆτωρ ἱκετῶν τε ξείνων τε, ξείνιος.

Quia hospites devorasti, inquit Ulyxes: τῷ σε Ζεὺς τίσατο, Ibid. 479.

In universum Jupiter ea punit quae contra justitiam fiunt et religionem: Ζεὺς — τίγνυται, ὅστις ἀμάρτη, Od. 13, 213.

1) Ideo quartus Iliadis liber ὀρκίων σύγχυσις appellatur.

Od. 14, 283 :

[Ζεύς] μάλιστα νειμεσῶνται κακά ἔργα.

Lycurgus diis adversatus fuerat, καί μιν τυφλὸν ἔθηκε Κρόνον παῖς, Il. 6, 139. Aegisthus poenas luēt, inquit Jupiter, Od. 1, 40 :

ἐκ γὰρ Ὀρέσταιο τίσις ἔσεται Ἀτρεΐδαι.

Quia proci in Ulyxis domo *injuste* agunt, a Jove eorum exitium expectatur, Od. 1, 379 :

αἱ κ' ἐπεὶ Ζεὺς δῶσι παλίντιτα ἔργα γενέσθαι.

Telemachus orat, Od. 2, 69 :

κίσσομαι ἡμὲν Ζητὸς Ὀλυμπίου ἡδὲ Θέμιστος.

quo loco *justitia* profecto non sine *caussa* cum Jove conjungitur. Τὸν Ζεὺς ἐξολέσειε de prociis dicit Eumaeus Od. 17, 597. Si autem *minerva* ait (Il. 15, 137) : quando redibit Jupiter μάρψει ἐξείης, ὅς τ' αἴτιος, ὅστε καὶ οὐκί; timoris tantum haec est exaggeratio; nusquam enim id facere Jovem videmus. Animadvertendum tamen est *justitiam* divinam saepius et gravius in *Odyssea* notari quam in *Iliade*.

Jupiter ut *justissimus* ita etiam *juris* est principium et fons, quo fit ut ei sacri sint reges, iudices, praecones et caduceatores. Ideo reges vocantur Διοτρεφεῖς et Διογενεῖς (Il. 1, 176; Od. 2, 352). Cfr. Il. 2, 204 : εἰς κοῖρανός ἐστω, ᾧ ἔδωκε Κρόνον παῖς. Ibid. v. 197 : τιμὴ (regius honor) ἐκ Διὸς ἐστίν. Il. 9, 96 : Ἀτρεΐδῃ — τοὶ Ζεὺς ἐγγυάλισεν σκήπτρόν

τ' ἡδὲ Θέμιστας. Π. 1, 238: δικαστόλοι οὔτε Θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύεται. Π. 8, 517: κήρυκες Διὶ φίλοι.

Haec fere sunt quae spectant ad tempus praesens.
Ad futurum quod attinet rursus Jupiter est omnium
princeps; divinatio omnis eo tendit ut Jovis voluntas
exquiratur. Nemo signa prodit praeter Jovem. Som-
nia, fulgura, aves, arbores fatidicae et quae sunt
plura ejus generis, omnia ad Jovem referuntur, qui
hac de caussa appellatur πανόμφαιος (Π. 8, 250) i. e.
eis ὃν πᾶσα ὁμῇ ἀναφέρεται. Nam ὄναρ ἐκ Διὸς
ἐστίν (Π. 1, 63) et somnium ipsum dicit lib. Π. 2,
26: Διὸς ἄγγελός εἰμι.

Serpentem, qui passeris pullos vorat, ut belli Tro-
jani finem indicet, αὐτὸς Ὀλύμπιος ἦκε φόωδε (Π.
2, 309). — Eandem rem Jupiter patefecerat ἀστρόπ-
των ἐπιδέξια (Π. 2, 353). Iris, τέρας μερόπων ἀν-
θρώπων (Π. 11, 27) Jovis nuncia est. Fama, cui
divinum aliquid tribuebatur, a Jove mittitur: Ὅσα
ἐκ Διὸς (Od. 1, 282). Ulyxes Dodonam adierat ὄφρα
θεοῖο ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσαι
(Od. 14, 327). Dodonae quoque sunt Jovis inter-
pretes, Διὸς ὑποφῆται (Π. 16, 235). Sanguinis plu-
via, cruentae caedis indicium, a Jove demittitur (Π.
11, 53).

Et ita quidem absolvimus quod nobis propositum
erat, ostendendo, Jovem omnium rerum esse prin-

cipium et gubernatorem (*ὀψίζυγον*, Il. 4, 166). Brevius fortasse tractata multis videbitur altera hujus disputationis pars, quae est de *homerico* Jove. Sed animadvertendum est in hac parte pleraque esse plana atque perspicua, quum in iis, quae spectent ad *antehomericum* Jovem, plerumque conjecturis plus minusve certis esset utendum.

Ceterum nonnulla, quae ad primam partem relegavimus, fortasse aequo jure potuissent in alteram assumi; sed quis in re tam ambigua certos velit statuere fines? Aliqua etiam omisimus, quippe quae nobis adhuc essent obscura, veluti ex. gr. ea quae narrantur Od. 12, 65 sqq. de *columbis Jovi sacris*.

Sed haec tam parvi sunt momenti, ut ea vix putem quemquam esse desideraturum.

FINIS.

THESES.

I.
Mythologiâ optime discimus antiquitatis ingenium.

II.

Fabula de Martis et Veneris amoribus Homero
est indigna.

III.

Censuræ institutio Romanis utilissima fuit.

IV.

Horatii de Archyta oda (lib. I, 28) non est inter
nautam et Archytam distribuenda.

V.

Originum nomen quod Catonis annalibus inscriptum
erat non ad tres priores tantum libros spectat, sed
ad omnes.

VI.

Studio litterarum antiquarum ingenii vis naturalis non, ut hodie quidam volunt, corrumpitur, sed acuitur.

VII.

Aesopi nomen ad Aethiopum orientalium fabulas spectat.

VIII.

In Ciceronis Bruto cap. 8 pro *solebat verbis* legendum est *solebat et verba*.

IX.

In Xenophontis de Socrate commentariis lib. I, cap. IV, 11, pro *καὶ ἤττον κακοπαθεῖν καὶ ὄψιν καὶ ἀκοήν καὶ στόμα ἐνεποίησαν*. Legendum est: *καὶ ἤττον κακοπαθεῖν ᾧ καὶ ὄψιν καὶ ἀκοήν καὶ στόμα ἐνεποίησαν*.

X.

Apologia Socratis, quam Xenophonti vulgo tribuunt, ab eo scripta non est.

VI

Stallo litterarum antiquarum iugum, ut naturalis
non, ut helle quibus voluit, contrahitur, sed
accidit.

VII

Aesopi nomen ad Aethiopum orientalium fabulas
spectat.

VIII

In Oicronis prima cap. 8 pro scholae verba legun-
tur, qui est verba et scholae, et verba et scholae.

IX

In Xenophontis de Socrate commentariis lib. I, cap.
IV, II, pro non nisi quoniam Xenophontis et non
quod non nisi quoniam Xenophontis. Legendum est, non
non Xenophontis et non nisi quod non Xenophontis
Xenophontis et non nisi quod non Xenophontis.

X

Apologia Socratis, quam Xenophontis vulgo tri-
buit, sed eo scripta non est, sed a Socrate scripta
est, et a Xenophonte scripta est, et a Xenophonte scripta est.